



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

8. Regia vxor violatoris sui caput ad pedes mariti abijciens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

parens, & filius à Jacob puellam postea fratribusque puellæ, in coniugium, petierunt. Denique conditionem grauissimam, & quæ religionis caput erat, impleuerunt, cum se omnes Sichimitæ, gentis ritu, circumciderent. His omnibus insuper habitis, filij Jacob omnes vrbes masculos, ipsosq; etiam principes Hemor & Sichem interfecerunt, *in ultionem stupri*. Utq; luculentior esset pœna, ipsam etiam urbem depopulati sunt; ipsas oues, ipsa armenta innocua, asinos quoque & cuncta, quæ in domibus & in agris erant, vastauerunt. Ac ne quidquam intactum relinqueretur, paruulos quoque & vxores eorum raperunt in captiuitatem. Quid nostrum sæculum fecisset? Immo quid illi ipsi olim fecissent, si non virgo è paterna domo, sed vxor aliqua è mariti toro, vel à Paride, vel ab Herode rapta fuisset? Decem annos, populum totum vindictæ impendissent. At frigida nostra ætas, facillè iudices obtulisset, qui dicerent: *Disimulemus: quid, ob mulierem vnã, turbas dabimus? præstat habere tantos principes amicos, immo affines, quàm facere hostes. Præstat malum pati, quàm multiplicari. Quid enim non posset tricarum, rixarum, immo miseriarum oriri, si hic rigide ageremus?* Hæc & similia dicunt, qui ne manifestariam quidem & compertam sagam rogo audent adiudicare, ne vnus indicio plures sint comprehendendæ; & labor crescat in reis examinandis, aut infamia criminis in familiã serpat. Hoccine est esse iudices? ita geruntur magistratus? Ô iustitia, iustitia, vt dormis? Ô Princeps, quàm longè abes à zelo Dei! à tuo munere? à rege illo, qui orauit? *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis!* Pianè enim sunt verba malitiæ, non innocentia, quibus se iudex excusat à scelerum impunitate. Excusare se potest, qui ignorantia, aut fragilitate deliquit; *excusationes in peccatis*, verba sunt malitiæ, quæ duplicant culpam; immo & triplicant, si hæ ipsæ excusationes excusentur; quod complures peruersè Politici facere non erubescunt.

At priuati sæpè homines opprobrij impatientes, aut quodam zelotypiæ dolore faciunt, quod, amore iustitiæ, magistratum facere oporteret. Quot enim leguntur, adulterum, in angulo, post tapetia, vel sub lectica absconditum ac deprehen-

Ggg 2

sum

Psal. 140:4

VIII.

Val. Max. lib.
6. cap. 1.

sum gladio confodisse? *Exercitu & copijs Gallogracorum à Cn. Manlio consule, in Olympo monte ex parte deletis, ex parte captis, Orgiagontis reguli vxor mira pulchritudinis à centurione, cui custodia tradita erat, stuprum pati coacta: postquam ventum est in eum locum, in quem centurio, misso nuncio, necessarios mulieris, pretium, quo eam redimerent, afferre iusserat: Aurum expendente centurione, & in eius pondus animo oculisq; intento, Gallogracis lingua gentis sua imperauit, vt eum occiderent. Interfecti deinde caput abscissum manibus retinens ad coniugem venit: abiectoque, ante pedes eius, & iniuria & ultionis sue ordinem exposuit. Huius femina quid aliud quisquam, quam corpus in potestatem hostium venisse dicat? Nam neque animus vinci, nec pudicitia capi potuit: inquit Valerius. Ad do ego, eam, priuata ultione, docuisse, quid adulteris, publica authoritate, debeatur: quæ authoritas, si officio suo destituta, diuinam non effugiet potestatem. Et sanè quotidianum est, vt Iudex iudicium mereatur.*

IX.
Bonif. ep. 23.
ad Theobaldum
Anno Christi 170.

Refert Bonifacius Apostolicæ sedis legatus, in antiqua Saxoniam, si virgo paternam domum, vel si mulier maritata matrimonij fœdus adulterio maculauisset; coactam sua sibi manu laqueum iniicere, vitamque sibi suspendio adimere: super bustum autem illius concremata corruptorem quoque illius appensum fuisse: vel collecto feminarum agmine, per pagos villasque, circumactam, virgis, flagris, cultellis, vsque ad mortem, laceratam; vt ferro & flamma, in documentum aliorum neque Deum, neque fidem, neque castitatem curantium, adulterium vindicaretur. Tantus tunc pudicitie zelus erat, vt Cupidinis ignem, Vulcani igne expiarent. Qua de causa etiam Cranzius memorat, Anno 195. Mariam regis Aragonum filiam, Imperatricem Ottonis tertij vxorem, ob fidem marito non seruata, publicè flammis traditam atque combustam esse. Nunc à multis dubitatur, an vel de triuio, aut in ponte sedentes anus, quæ cum ipso dæmone adulterauerunt, rogo debeantur. In militibus autem crimen veniabile, & vt vocant, *peccatillum* est, si coniugem alterius violauit. Olim Aurelianus Imp. militem, qui adulterium, cum hospitis vxore commiserat,

Cranz. lib. 4.
Sax. cap. 26.
Genebr. in
Chron. l. 4.